



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

De ignoto quidpiam iudicare mortale non est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

milite, quod hostem querat ad vindictam de iuvene-
tum honesto, quod ex pravo fine, per aliquem lo-
tum transeat, quia ipsi de eiusmodi criminibus glorian-
tur, quare non iudicantur honoris lationem pati. Con-
fiteri, si temere certo iudices de probro Episcopo,
vel Religioso esse mendacem, &c. Propter eandem
rationem certe temere iudicare aliquem esse illegiti-
mum, ex ignobilium, vel Hæreticorum, vel Hebræ-
orum familia, videtur afferre injuriam gravem pro-
prio. Ita Dicastill. lib. 2. de iust. tractat. 2. d. 12. part. 3.
m. 41. quia inter homines probos, hæc multum
estimantur, ne à publicis honoribus, & Officiis arcean-
tur. Verum, vide quæ dicam infr. cap. 3. §. 2. num. 4. ex
Dicastill.

7. Tertia conditio, ut iudicium sit certum mortaliter,
scilicet, ut modò dixi, non esset iudicium, sed suspicio,
de qua mor.

8. Quarta conditio, ut sit ex levibus conjecturis, ex
sufficientibus indicibus: nam si ex sufficientibus, non erit
temerarium, sed prudenter elicium iudicium.

9. Sed ecce non exiguum difficultatem: Quomodo
certum dignoscam, indicia esse, vel non esse sufficientia?
Dico, id tandem prudenti arbitrio esse diiudicandum.
Regulam tamen hanc dari posse: Quoties indicia non
sunt proportionata ad tale iudicium, id est, quoties indi-
cia ex se, aut ex communi hominum usu sunt indifferen-
tia, aut cum conjuncta cum tali effectu, dicuntur impro-
portionata, atque adeo insufficientia.

Si vero solent esse ut plurimum coniuncta, propor-
tionata erunt, & sufficientia. De nocta, quis verbi gra-
tia, intrat alienam domum, scalarum adminiculo, ex-
citare aperire tentat: hoc indicium est sufficientis ad iu-
dicandum illum esse furem. De die quis bonæ famæ
virum per viam, ubi Mulier inhonesta degit, hoc in-
dicium sufficiens nequaquam est, ut credas illum esse
adulterum. Fateor non esse unum indicium tantum-
modo expendendum, sed complexionem omnium;
contingat enim sæpe, ut unum alterum adjuvet, vel
minuat, vel omnino tollat. Fac enim, te videre, ali-
quem de die, coram vicinia, fenestram per scalas
aperire velle: potius, si prudens es, putabis ipsum
clavem propriæ domus amisisse, quam moliri fortium.
Leg. Dicastill. lib. 2. de iust. tom. 2. disp. 12. part. 1.
d. 4. qui per aliqua indicia, quoad hanc præsum, rectè
dilatatur.

De Ignoto quidpiam iudicare, mortale non est.

10. Certum sit secundò, temere iudicare in re gravi
de aliquo ubi prorsus ignoto, non esse mortale: quia mo-
raliter petinde est, ac si de nullo iudicares. Videat quis,
hominem de nocta caput habens pallio coopertum,
vel transcat per loca sibi ignota, incipiatque in homines
sua nullo modo cognitos: hic si temere iudicet de illo,
de his, non peccat mortaliter, quia nemini facit in-
iuriam. Quod si forte deinde veniat in eorum notitiam,
et genere prudenter debebit, nec nisi iuxta conjecturas
iudicare.

Solum suspicari de re gravi, nunquam est mortale.

11. Remanet ergo incertum, An suspicio delibe-
rata in re gravi, & sine sufficientibus indicibus, atque
adò temeraria, sit culpa mortalis. Sub nomine au-
tem suspensionis includimus sive dubium, sive suspi-
cionem inoptitè dictam, sive opinionem. Salas,
Ramus, Arag. apud mox citandos, dicunt esse morta-
lem: non esse contendunt Caiet. Petr. Navarr. alique.
apud Dicastill. loc. cit. dub. 4. num. 46. quibus adde Less.
lib. 2. cap. 19. dub. 3. Molin. tract. 14. de iust. d. 16. concl. 3.
Azo. part. 3. lib. 13. cap. 11. dub. 3. Porro, præ vides mi-
hi hanc benigniorem placituram. Fateor te rectè præ-
vidisse. Et ratio, quæ me movet, ea est, quam affert
S. Thom. Quodlib. 12. art. 34. quia suspicio in genere

iudicii est actus imperfectus, atque adeo non est plenè
temerarius, neque necessariò conjunctus cū contemptu
saltem gravi proximi: ergo sicuti cetera peccata contra
iustitiam, non sunt nisi venialia ex parvitate materiæ, ita
in casu suspensionis. Antecedens patet, quia ubi non est
perfecta certitudo, non est perfecta temeritas, nec est
læso gravis, quando ille, qui sic suspicatur, habet
actualiter, vel saltem virtualiter formidinem oppositi,
& quasi facile est paratus eiusmodi suspensionem depo-
nere. Id, quod togum quasi essentialiter imbibitur in
ipso actu suspensionis, & reliquis illis, de quibus est
sermo.

12. Per accidens tamen suspicio esse mortalis potest.
Primò, si procedat ex odio gravi, id est, si quis licet vi-
deat rem posse non esse, tamen ipse propter odium inimi-
ci delectetur de malo gravi ipsius: ut si quis suspicetur
esse mortuum suum inimicum, de quæ ea morte sibi com-
placeat: quod tamen peccatum non contra iustitiam
credo foret, sed contra Charitatem, quia non del. etatur
nisi de malo inimici, quod est contra Charitatis virtu-
tem: nisi forte delectetur de ipsa iniustitia malæ suspi-
cionis, quod certe rarissimum erit.

13. Secundo: Si suspiciens adderet interius aliquod
aliud malum, ut si quis, ex illa levi suspitione, graviter
contemneret proximum, ac si re vera illud peccatum is
commisisset.

14. Tertiò: Si sic suspiciens procederet ex illa suspi-
cione ad damnum notabile inferendum exterius proximo:
ut si Iudex ex levibus indicibus eum condemnaret,
vel Superior Religionis subditum puniret, &c.

15. Quartò: Si suspicionem quis aliis manifestet, nam
ex manifestatione rei gravis, quamvis dubiæ, regulariter
fama, inò non raro bona proximi exponuntur gravi pe-
riculo: Experiencia enim constat, cum de aliquo homi-
nes dubitant, facile illum contemnere, eidemque detra-
here, atque officia, honoresque denegare. Quod si quis
uni, vel alteri timorata conscientia suam patefaciat
suspicionem, unde prudenter censeatur non adesse ejus-
modi, vel simile periculum: sanè excusaretur saltem à
mortalis. Manifestare autem iis, quibus potest, aut ex
alio capite debet, nullum esse peccatum, dubium non
est.

16. Addunt denique plures, fore mortale peccatum
suspicionis, deliberatè suspicari de persona honesta, &
proba aliquid enorme: ut hæresim, vel incestum, vel sodo-
miam de probro Episcopo, &c. Ratio est, autem, quia huic
dignissimæ personæ per ipsam suspensionem, quamvis le-
vem, fit gravis iniuria. Verum, ab hac sententia semper
discessi, ut discessit, Laym. l. 3. sect. 5. r. 3. p. 1. c. 2. n. 7. Si enim
est suspicio, semper erit ex genere suo levis.

17. Obiicies: Homo potius eligeret amittere decem
aureos, v. g. quam bonum suum nomen, etiam per levissi-
mam suspensionem apud unum, vel alterum: ergo si amit-
tere decem aureos, res est gravis, erit & id, de quo loqui-
mur. Confirmo primò, quia verè maius est bonum, & no-
bilius, ordinisque altioris fama, quam pecunia: ergo etiam
levissima famæ iactura gravior erit quam notabilis ia-
ctura pecuniæ. Confirmo secundò, quia si amicus sciret
meam suspensionem contra ipsi, averteretur à mea amici-
tia: ergo signum est huius generis suspensionem graviter
amicum lædere.

18. Respondeo: Quando suspicio est in genere suspi-
cionis, atque adeo ex se leve malum, nullumque effe-
ctum graviter malum post se trahens, neque ex odio
procedens, nullus homo prudenter eligeret, potius
amittere decem aureos, quam illam pati Ratio est, quia
suspicio illa, cum fiat ex nostra humana fragilitate ad-
versus quoscunque, vel Sanctissimos Viros juxta illud
S. Augustini, citati à Th. 2. 2. quæst. 60. art. 3. *Suspiciones
vitare non possumus*, non debet iudicari prudenter læsio-
nem afferre notabilem. Ad Confirmationem: Respondeo
esse quidem famam ex se altioris ordinis, tamen in suo
ordine aliquando posse esse levem, ac propterea ejus
ablationem non esse mortalem. In his autem rebus